



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Chronologia Christiana**

**Heripoli, 1694**

Sæculum XI. Ab Anno 1000. ad 1100.


---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65495](#)

AB ANNO 900. AD 1000. 167

configentes An: 979.\* Ignis è Rheno  
ortus stragem magnam edit 991\* hor-  
renda ignis eruptio è Vesuvio 993.\*

**Hatto** Moguntinus immisericors in  
pauperes, ultore Deo à muribus dici-  
tur corrosus in turri infra Bingam me-  
dio in Rheno constructâ, unde turri  
hodie nomen TURRIS MURUM  
Anno 970,



## SÆCULUM XI.

AB ANNO 1000. ad 1100.

**CXLV** JOANNES XVI. Rom. ele&.

Jan. 1003. Sedem tenuit tan-  
tum 5. mensibus, & ut *Fusecius Luthe-*  
*ranus* scribit : *Nihil egit Pontificia sede*  
*indignum.*

**CXLVI.** JOANNES XVII. Rom:  
(vel etiam XIX. ut alii numerant)  
ele&: An. 1003. auctoritate suâ & vir-  
tutis exemplo Græcam inter & Ro-  
manam Ecclesiam unionem induxit.  
Obiit an. 1009. die 18. Junij.

**Q**ui in serie Pontificum duos Antipapas  
G 4 John.

Ioannes dictos inseruerunt, illi Joannem XVI  
hic Scriptum, ponunt ordine XVIII. & XVII  
numerant XIX. hoc observandum lectori,  
ne confusio fiat in numero & ordine.

CXLVII. SERGIUS IV. Roman:  
elect: An. 1009. de quo PLATINA *Vir  
Sanctissima vita, grataq; consuetudinis,  
¶ ante, & in ipso magistratu fuit, in pa-  
peres liberalis, in amicos & familiares ju-  
cundus, in delinquentes clemens, in contu-  
maces modestus, in Deum omnem mentem  
convertens, hæc, & plura PLATINA,*  
alias non liberalis encomiaestes Ponti-  
ficum Romanorum. Obiit *Sergius A.*  
*1012. die 13. Maij.*

CXLVIII. BENEDICTUS VIII.  
(aliis VII.) Italus, Comes Tuscula-  
bus elect: A. 1012. à *Gregorio Antipa-*  
*pa impugnatus, & in exilium pulsus*  
*sed à Sancto Henrico Rege Germano-*  
*rum, cum exercitu Romam profici-  
cente, restitutus; quem postea Impe-  
ratorem coronavit, & reciproco offi-  
cio invisurus Româ Bambergam ve-  
nit, ibidemque templum in honorem  
*S. Stephani exstructum assistentibus 72.*  
*Episcopis consecravit. Obiit A. 1024.*  
*die 29. April.**

CXLIV

AB ANNO 1000. AD 1100: 169

CXLIX. JOANNES XVIII. (aliis  
XX.) Italus & Comes Tusculanus\*  
adhuc Laicus, à Consanguineis ad  
Pontificatum promotus, ab Ecclesia  
tamen postea acceptatus legitimè fe-  
dit, & *Conradum* Imperat: dictum *Sa-*  
*licum* Romæ in præsentia *Robertii*,  
Galliae ac *Canuti* Daniæ & Angliæ Re-  
gis coronavit. Obiit Anno 1033. die  
8. Novembr.

CL. BENEDICTUS IX. Italus ✽  
iterum è familiâ Comitum Tuscula-  
norum, quâ auri vi perrumpente ad  
Pontificatum elatus est: bis dejectus,  
& bis iterum intrusus, ac tandem pa-  
cis causâ acceptatus. Illud in Ecclesia  
Scandalum posuit ut uno tempore  
tres, imò quatuor se se Christi in terris  
Vicarios appellarent. *Sylvester III. Io-*  
*annes Archidiaconus*, & hic *Benedictus*.  
Pessimæ omnes notæ: ac *Gregorius VI.*  
bonævitæ ac legitimus Pontifex. *Be-*  
*neditus* enim à quodam Abbatे Crys-  
tæ ferratæ *Bartholomæo* nomine, spe-  
ctatæ virtutis viro, persuasus, Pontifi-  
catum *Gregorio VI.* cessit An. 1044. diu

G S autem

autem post A. 1054. facti optimi iterum pœnitens *Gregorio* legitimè jam sedenti denuo se se opposuit. & *Cathedram Petri* non tam possedit, quam hostiliter obsedit.

CLI. GREGORIUS VI. Rom: ante *GRATIANUS* dictus, an: 1044. elect: cum tribus Prænominatis Antipapis pro Sede concertantibus convenit pro certis & copiosis redditibus ex Ecclesia annuè solvendis, ut clero Romano liberam electionem relinquerent, quo pacto initio cesserunt Antipapæ, & ipse liberè ac legitimè electus est. Sunt qui Simoniae ex hoc reum agere voluerunt *Gregorium*, æquiùs autem à plerisque defenditur, quia laudabili hoc stratagemate usus est, non ad Pontificatum emendum, sed ad Pacem potius Ecclesiæ redimendam: legitimè ac solus sedet 3. annis, & abdicato sponte Pontificatu obiit.

CLII. CLEMENS II. Germanus Saxo. Ante *SUIDIGERUS* sive *SUGERUS* dictus, Bambergensis II. Episcop: Propositus ab *Henrico III.* & invitus

tus electus in Concilio Sutriensi. Pontificatum ut Pacem sic afferret Ecclesiæ, acceptavit, & sponte cedente *Gregorio*, sedere cœpit Anno 1046. Festo die Nativitatis Christi quo eodem die *Henricum III.* & *Agnetem* conjugem inunxit, & Imperatoriâ coronâ insignivit. Cursum piè, ac laudabiliter gestorum, mors præmatura interruptus, quæ illi Anno 1047. Regiminis sexto mense expleto, in itinere in Germaniam cum *Henrico* Imperatore suscepito, obvia venit. Sepultus est Bambergæ, cuius Ecclesiæ Episcopatum ad mortem usque retinebat.

CLIII. DAMASUS II. Germanus ex Bavaria Brixensis Episc: & Popo dictus, Propositus ab *Henrico III.* & eleitus A. 1048, Sedit non nisi 25. dies, & obiit Præneste, non absque suspicione veneni ab Antipapa *Benedicto IX* Propinati.

CLIV. S. LEO IX. (aliis VIII. qui *Leonem* in X sæculo Antipapis annumerant) Germanus Alsata de familia COMITUM à DAXBURG & EIGISHEIM, Tul-

Tullensis Episc. BRUNO dictus. Pro-  
positus ab Henrico III. & ele&t. Anno  
1049. iterum, sed frustra, opponente  
se Antipapa *Benedicto*, in vita, & post  
mortem, claruit magnis miraculis: quæ  
inter memoratur illud à *Leone Ostiensi*  
& *Desiderio Catinensi* quod Christum in  
specie leprosi hospitio liberali exce-  
perit, à PLATINA & NAUCLE RO *Vir in-*  
*signis Pietate, Innocentia, benignitate, gra-*  
*tiâ, & hospitalitate, cuius domus paupe-*  
*ribus & peregrinis semper patuerit.* Obiit  
A. 1054. die 19. April. quo die ut San-  
ctus colitur.

CLV. VICTOR II. Germanus ex  
Suevia de familia COMITUM à KALB  
Episc. Aichstättensis GEBHARDUS di-  
ctus, ab Henrico Propositus & ele&t:  
tanquam dignissimus & aptissimus qui  
*Leonis* Antecessoris Sanctis vestigiis  
insisteret, quibus etiam laudabiliter  
institut, ei que adstitit Deus, à veneno,  
quod nefarius Diaconus missam cele-  
branti, in calice cum vino miscuerat,  
miraculosè præservando, dum in con-  
fertissimo populo adspectante, calix  
factâ

factâ jam consecratione nullis viribus elevari posset. Diacono adhæc à dæmone possesto & mirum in modum cruciato, usque dum crimen publicè fassus, precibus *Victoris* ab Inquilino Stygio liberatus est. Ita *Baron.* & alii Obiit Anno 1055.

**S**inistre quidam arguunt Piissimum Imperat. *Henricum*, quod Jus Romanum Pontificem constituendi, sibi arrogaverit: cum is quatuor hos Pontifices è Germanicâ natione proposuerit tantum Clero Romano, hoc ipsum legationibus ab Imperatore postulanti, ut viros insignes proponeret, tum ad conatus Tusculanorum principum, pro *Benedicto*, reprimendos, tum nova Schismata præcavenda, liberrimâ interim eligendi potestate Clero relictâ, & usurpatâ.

CLVI. STEPHANUS X. (ab aliis IX.) è Stemmate Ducum Lotharingiæ, filius Ducis Gotzilo, & frater Ducis Gottfridi famosissimi Herois, antè Fridericus dictus in Cardinalatu constitutus, præelegit latere sub nigro Scapulari, quam fulgere in purpurâ, ideo ordinem *S. Benedicti* in monte Cassino ingressus ibidemque Abbas, ac defuncto *Victore* Pon-

Pontifex elect: an: 1057. Sed optima quæq; pro Ecclesia Dei molienti, atq; conanti, mors præcox gestorum simul, ac vitæ telam præscidit, Florentiæ in Toscana, A. 1058. die 27. April.

CLVII. NICOLAUS II. Sabaudus Episc. Florentin. GERARDUS dictus, elect. A. 1056. *Mincium* Antipapam qui *Honorius II.* appellari voluit, & Romanam nobilitatem *Mincio* faventem continuit: *Berengarium* ab errore reduxit. à PLATINA *Vir in omni vita probatus* dicitur. quotidie 12. pauperibus, liberaliter pastis, pedes abluit. Obiit Florentiæ A. 1061. in Junio.

CLVIII. ALEXANDER II. Mediolanensis Episcopus Lucanus Anselmus dictus, electus A. 1061. Contrà insurgente Antipapa *Cadaloo Parmensi Episcopo, & Agneta* Viduâ Henrici, à Cancellario Imperij *Quiberto Parmensi* ad hoc inductâ. His ille motibus, virtute & Constantiâ suâ compositis, Imperatricem ad pœnitentiam permovit. adversus Clericos concubinarios accrimus, plurima Scandala sustulit, in hoc

AB ANNO 1000. AD 1100. 175

hoc genere zizaniorum eradicando,  
per Germaniam, usus diligente operâ  
*S. Annonis* Episc. Coloniens. Obiit  
magnæ Sanctitatis famâ An. 1073. die  
22. April.

CLIX. S. GREGORIUS VII. proprio nomine dictus HILDEBRANDUS Hetruscus natione, Patria Soannensis, minimè ex Comitum TOSCANORUM familiâ: sed Patre natus fabro lignario, in cuius officinâ puer planè rudis adhuc litterarum, Segmenta aliquando ludendo tractans, verba illa Psalm: 72. coordinavit: *dominabitur à mari usq; ad mare.* Vaticinium id fuisse, docuit eventus. Virtute enim duce adiutum invenit in Aulam Pontificiam, in qua per An. 40, decem Antecessores Pontifices, & Regiminum vicissitudines expertus, tandem & ipse electus A. 1073. multipliciter statim hydram invenit, quā oppugnaret Hercules iste Romanæ Eccl; i. Clerum moribus corruptis depravatum, ac præsertim concubinatu infamem. 2. Simoniacam pestem ac hæresin 3. *Henricum IV.*

Har.

Harpyam bonorum Ecclesiasticorum,  
obstinatæ impietatis, & in omnem li-  
centiam effusæ libidinis Imperato-  
rem. Omnibus tamen his malis fortior  
Gregorius, tandem Sanctitate, rebusq;  
gestis clarissimus Salerni obdormivit  
**A. 1085.** BARON: verè ad Exemplum  
Christi, ( Cujus Vicarium in terris se  
præbuit, ) positus est in Signum cui  
hodie dum impietas & livida hæresis  
plurimum contradicit.

**CLX. VICTOR III.** Italus & Dux  
Beneventanus, ante DESIDERIUS di-  
ctus. Alter Alexius, Opulentâ domo  
ac Sponsâ reliqtâ in monte Cassino re-  
ligiosus factus est, ubi virtute ac hu-  
militate Suffragante, Abbas, & de-  
mum Pontifex elect. **A. 1086.** Ponti-  
ficatum ejus insigni Victoriâ Deus  
condecoravit: exercitu enim educto  
in Africam, Centum Saracenorum mil-  
lia prostravit, & sic redditâ Ecclesiæ  
pace ipse quoque in Domino verè VI-  
CTOR requievit **A. 1087.**

**CLXI. URBANUS II.** Gallus Rhe-  
mensis Canonicus Regularis Latera-  
nen-

nensis, deinde Monachus Cluniacen-sis, postea Episcopus Ostiensis, ac tan-dem Pontifex ele&t. A. 1088. Ita Ba-ron: ad hunc annum. Multa præclara decreta sanxit, Au&tor & Promotor e-gregius fuit expeditionis Celeberrimæ Europæorum Principum contra Tur-cas & Saracenos ad Hierosolymam recuperandam: nuncio etiam de ea-dem feliciter expugnata paulò ante morte accepto, ipse quoque vitæ suæ agonem ultimum gloriose finiit Anno 1099. die 29. Julij.

## §. 2. Imperatores Orientis.

LXXXVII. **R**omanus ARGYROPY-

**R**lus qui veneno extin-  
ctus & strangulatus est tum Conjugis Zoes adulteræ, tum Michaëlis, quem ipsa perperam amabat, factione A. 1034.

LXXXVIII. MICHAEL IV.

PAPHLAGO ex argentario Imperator,  
& adulter Zoes, à dæmone divexus ad mortem usque A. 1041.

LXXXIX. MICHAEL V à Popu-lo excæcatus & lapidatus, quod Zoen,  
a quâ

à quā fuerat adoptatus, in exilium & claustrum abdidisset, 1041. quam populus cum Theodorā Sanctimoniali extraxit, ut Regnū iterū administraret.

**XC. CONSTANTINUS IX.** cognomento MONOMACHUS ob nuptias cum Zoe coronatus, obiit A. 1052.

**XCI. MICHAEL VI. STRATONI-**cus dictus; Imperio se abdicavit A. 1056

**XCII. ISAAC COMNENUS,** tyran-  
nus Regnum occupat, sed biennio post Monachum induit.

**XCIII. CONSTANTINUS X.** qui & Ducas dictus, moritur A. 1067. relietis tribus filiis, & *Eudocia* uxore.

**XCIV. Romanus DIogenes,** *Eu-*  
*dociae* maritus, tribus annis Imperat, &  
à Turcis capitatur.

**XCV. MICHAEL VII.** Cognomen-  
to Ducas *Constantini Duce* filius,  
ob ignaviam Imperio spoliatur à *Ni-*  
*cophoro* A. 1071, & in Monasterium  
intruditur.

**XCVI. NICEPHORUS III. Bo-**  
toniates in ordinem Religiosum re-  
daetus ab Alexio A. 1078,

**XCVII.**

AB ANNO 1000. AD 1100. 179

XCVII. ALEXIUS COMNENUS  
imperavit, ad annum usque 1118. qui  
fuit vitæ ultimus.

### *Imperatores Occidentis.*

XV. HENRICUS II. Cognomen-  
to CLAUDIUS, & SANCTUS  
(alias I. eò quod alter Henricus deci-  
mo sæculo Imperator nuncupari no-  
luerit) inter alias virtutes heroicas,  
perpetuam virginitatem cum S. Chu-  
negundâ coluisse & S. Stephanum cum  
toto Regno Hungariæ ad Christum ad-  
duxisse legitur. Regnavit annos 23.  
Obiit 1024. Sepultus Bambergæ SYMB:  
*Ne quid nimis.* ab hujus obitu vacavit  
Imperium ad annum usque 1027.

XVI. CONRADUS II. SALICUS  
Imperator Romæ coronatus à Joanne  
Papa, ipso die paschatis, Henrico au-  
tem repentinâ morte sublato A. 1039.  
iterum vacavit Imperium usq; ad an-  
num 1046. SYMB: *Omnium mores, sed  
tuos imprimis observa.*

XVII. HENRICUS III. (ab aliis  
II.) Cognomento NIGER & filius

*Con-*

*Conradi*, regnavit cum *Agnete* conju-  
ge, ab animi demissione & Pœni-  
tentialaudatissimus, adeò ut coronam  
Imperatoriam non antè susciperet, ni-  
si præmissâ disciplinæ verberatione,  
quæ Christianis tunc admodum fami-  
liaris erat. Obiit inter manus *Victoris*  
Papæ Anno 1056. Baron: SYMB: *Qui*  
*litteram affert, execrationem mutat in be-  
nunciationem.*

XVIII. HENRICUS IV. (aliis III.)  
Septenniū vix egressus, Imperio inau-  
guratus est sub tutela matris suæ *Ag-  
netis*. Annis regiminis sui sexaginta  
duobus præliis & se & alios lassavit,  
ferox Ismael! nullum fuit tempus quo  
non vinceretur vel vinceret, in eo con-  
tumax crimen, & tam mollibus quam  
prosperis infracta etiam cum cœlo lu-  
ctandi libido, insignes naturæ dotes,  
vertit in enormia crimina, tribus Pon-  
tificibus rebellis filius, Anathemati ob-  
ligatus, tandem morte repentina ex-  
tinctus est, An. 1106. Baron. SYMB.  
*Muli multa sciunt, se autem nemo.*

§ 3.

### §. 3. Concilia.

**L**egionense in Hispania An. 1012.  
Aurelianense An. 1017. Salegunti-  
stadiense cui interfuit *Burckardus*  
Wormatiensis Episc. An. 1022. Mo-  
guntinum duplex An. 1023. & 1054.  
Lemovicense An. 1029. Pampilonense  
A. 1032. Triburiense II. A. 1035. Vene-  
tum in Ecclesia *S. Marci* A. 1040. Con-  
stantiense 1044. Sutrinum in Hetruria  
1046. & aliud ibidem 1059. Romanum  
contra Simoniacos, Incestuosos & *Be-*  
*rengarium* sub *Clemente II.* A. 1047. Flo-  
rentinum A. 1055. Lugdunense An.  
1055. Augustodunense 1055. Turo-  
nense contra *Berengarium*, ubi & abju-  
ravit 1055. & aliud ibidem 1096. La-  
teranense A. 1059. contra *Berengarium*  
ubi iterū abjuravit. Mantuanum con-  
tra *Cadalous Schismaticum* A. 1064.  
Barcinonense 1064. Romanum Mag-  
num 1075. iterum Romæ sub *Gregorio*  
*VII.* A. 1076. ad tollendam de Impe-  
rio contentionem quæ inter *Henricum*  
*IV.* (alias *III.*) & *Rudolphum Sueviæ*  
Ducem

Ducem intercedebat. Rursum ibidem A. 1079. in quo *Berengarius* jam Octogenarius, multoties relapsus denuò abjuravit. Lugdunense, Avenionense, & Meldense celebrata eodem An. 1080. Beneventanum sub *Victore* 1087. & aliud ibidem 1091. Tolosanum 1090. Placentinum 1095. Claromontanum in quo *Urbanus II.* Occidentis Principes Christianos ad bellum Sanctum concitavit. A. 1095. Barense A. 1097. Hierosolymitanum 1099.

#### §. 4. Schismata.

**G**regorius Antipapa contra *Benedictum VIII.* intrusus & cedere compulsus ab *Henrico Germano Rege*. 1012. \* *Sylvester* & *Ioannes Archipresbyter*, quem *Benedictus IX* Sedem dimittens sibi subrogârat. Suasum deinde est tribus his ut se ipsi abdicarent, & *Gregorium VI.* agnoscerent quod etiam factum 1044. \* *Mincius à Nicolo* 11. expulsus \* 1059. \* *Cadalous* contra *Alexandrum II* 1061. miserè obiit A. 1064. \* *Guibertus Cancellarius ante*

AB ANNO 1000. AD 1100 183

teat Imperij sub Henrico & Agneta qui se  
Clementem III vocabat adversus S. Gre-  
gorium VII. A. 1083.

### §. 5. Propagationes Fidei.

C Onversa Pannonia. Toletanum  
Regnum, A. 1088. \* Vindi Scla-  
vi Saxones, plenè conversi per Hes-  
mannum \* Reparata apud Hungaros  
fides per Regem Andream pœna ca-  
pitis indicta in deficientes, & Velam  
fratrem ejus. \* Pomerani, ac Stetinén-  
ses agente Boleslao III.

### §. 6. Persecutiones Fidei.

I Nnumerii Christiani variis in locis  
à Sclavis, Hungaris, Danis, & Rus-  
sis pro fide interfecti \* Arabes plures  
quam septem millia Christianorum  
Hierosolymam peregrinantes ipso die  
parasceves in quodam castello obsi-  
dent, & occidunt ut vix duo millia  
evaserint. \* Ecclesia ab Henrico IV. Im-  
peratore variè vexata. \* S. Olaus Rex  
Martyr, item Bauno Russorum Apo-  
stolus, ac Colomannus \* Arialdus Dia-  
con: Mediolanens. 1066. Bonizo per  
Schismaticos 1089.

§. 7.

### §. 7. Sanctitate Clari.

**S**romualdus. 1008. S. Henricus Imp. per. Maritus & Virgo 1024. S. Cunegunda Imper. uxor & Virgo 1024. S. Odilo 1048. S. Eduardus Rex Angliae Virgo & Maritus ( Solo tactu sanabat morbum strumæ, quod divinum munus ad posteros Reges Angliæ manasse dicunt) 1066. S. Stanislaus Episc. & Martyr. 1079. S. Arnulphus 1080.

### §. 8. Haretici.

**B**erengarius Archidiaconus Andegavensis, de præsentia Christi in Eucharistia, deque baptismo parvorum male sentiens, legitima matrimonia dissolvebat. Simoniaci, Novi Manichæi in Gallia, Michaël Cerularius. Reordinantes. Novi Nicolai, &c. Incestuosi Uvecilini. Roscelinus.

### §. 9. Initia Religios. Ordin.

**O**rdo Vallis Umbrosæ sub Regula S. Benedicti inchoatus à Joanne Gualberto. A. 1040. Ordo Grandimondensis per Stephanum 1080. Carthusianis dat initium S. Bruno 1086. Antoniani, qui servirent nosocomiis per Guastonū instituti. Sive ut Onuph: Ordo ministrantium in nosocomiis il-

lis

lis ægrotis, quibus membra igne sa-  
cro sensim consumpta pereunt, qui ig-  
nis dicitur *S. Antonij* hi cum Laici  
essent litteram Tav pro Symbolo sus-  
ceperunt. Cisterciensis à *S. Roberto* 1098.

### §. 10. Initia Regn. & Princ.

**P**ersicæ dominatus transfertur ad  
Turcas, qui subactis Babyloniis  
soli ferè Orientem occupant. 1050.\*  
à Rege Burgundionum *Rudolpho* quòd  
subditi sæpè insolecerent, Burgun-  
dæ Regnum dividitur in comitatum  
& Ducatum. Ille donatione cessit *Con-  
rado* Imperat: hic *Henrico I.* Franco-  
rum Regi. Ita *Genebrard* \* Delphina-  
rum Viennensium initium à *Guige Gra-  
tianopolis* Comite, qui nomen sibi-  
cit in Delphinatu, Allobrogum gente,  
unde Orti Delphini Viennenses, inter  
Franciæ Reges & Sabaudiæ Princi-  
pes medi 1075. Ita *Bouffieres*. \* Equi-  
tum Dalmatiæ & Croatiæ 1076. \* Du-  
catus Bohemiæ in Regnum erigitur A.  
1087. \* Regnum Poloniæ ex Ducatu  
1077. \* Comitatus Lusitaniæ Mauris

I

ad eum.

ademptæ fit Regnū 1089.\* Incipit Regnum Scotiæ, & Siciliæ 1098.\* **Godefridus Bullionius** ab universo exercitu constituitur primus Rex Hierosolymitanus, noluit tamen coronam auream suscipere, quod Christus ibi Spineam tulisset.

### §. II. Instit. Sacror. Rituum.

**C**ruciatæ contra Infideles, & præcipuè pro reparatione terræ Sanctæ primò Inductæ A. 1095.\* Triduanum jejunium annum in Capite quadagesimæ apud Cassinum \* Globus aureus cum Cruce, insigne imperii. \* Symbolum primò Cantari cæptum Romæ post Evangelium. 1014. \* Adictum Deiparæ Sabbathum 1095. \* Usus & nomen disciplinæ seu flagellationes, quæ priùs privatim usurabantur, fiunt publicæ.

### §. 12. Nova Reperta & Natales Vrbium.

**N**otæ Musicæ ut, *re, mi, fa, sol, la,* à Guidone Aretino excogitatæ A. 1022. Scaphusiana Urbs conditur. 1052.

§. 13.

### §. 13. Scriptores Sacri.

**B**erno Abbas. Guido contra Berenga-  
rium. D. Burckardus Episc. Vor-  
mati; D. Fulbertus Episc. D. Bruno Episc.  
Herbipol. Glaber. Hermannus contractus.  
Oecumenius. D. Anselmus Episc. Lan-  
francus Episc. Theophylact. Episc. Petrus  
Damian. Cardinal; Marianus Scotus Ful-  
densis Monachus insignis Theologus & hi-  
storiographus. Ivo Carnotensis. Episc.

### §. 14. Natur. Discipl. Periti.

**S**Burckardus Wormat: Episc: decre-  
torum Collector, & Canonum peri-  
tissimus. Ivo Carnotensis. Item Collector  
decret: Math. Albazenus, Albaregnus.  
Campanus Longobardus. Joannes Serapion.  
Quido. Arctinus. Franco Scholasticus. Oli-  
verius Malmethuriensis. Med: Avicenna.  
Hist. Joannes Ziphilinus. Meginfredus. A-  
drianus. Marianus Scotus. Joannes Curo-  
Palates.

### §. 15. Universitates & Scho- la Publicæ.

**A**Cademia Babylonica, Sarace-  
norum, præsertim ad Medicinam  
& Astrologiam tradendam A. 1000.

### §. 16. Strategi & Prælia.

**S**Excenta Scytharum millia preci-  
bus Constantini Ducis & Populi fu-  
sa divinitus A. 1065. \* Robertus Guis-  
cardus, Normannus, Dux fortissimus. \*  
*Huna* Anglus bellicosissimus. \* Gode-  
fridus Bullionius Hercules Christian.

### §. 17. Memorabilia.

**G**ODEFRIDUS BULLIONIUS exequitur A.  
1096. expeditionem terræ Sancæ, quæ  
secuti sunt nonnulli Episcoporum ac nomi-  
natim Ademarus Aniciensis Episc: & Duce:,  
ac Comites, quos inter BALDUINUS & Eusta-  
chius fratres Godefidi, Hugo frater Regis  
Galliarum, Robertus Flander. Stephanus Blesen-  
sis, Raimundus Tolosanus, Bæmundus Apu-  
lius, aliquique infiniti propè nobiles, cum exer-  
citu centum fortissimorum bellatorum mil-  
lium ex Occidente Collectorum, qui omnes  
Cruce ex purpureo panno confectâ, supra  
dextrum humerum notati erant, in signum  
indulgentiæ ab URBANO II. illis concessæ  
(unde & COHORS CRUCIATA dicta) pro-  
cesserunt ad eò fortiter adjuvante Deo, ut  
An. 1097. Niceam Urbem quintâ hebdo-  
madâ obsidionis expugnaverint, & eodem  
anno Balduinus Frater Godefidi factus fac-  
tit Comes Edessæ, Mesopotamiæ & Medo-  
rum Metropoleos, & A. 1098. per Sum-  
mam

mām commicatūs inopiam in manus nostras  
se dederit Antiochia mense 9. obsidionis,  
**Baamundo** Duce Apuliæ ejus urbis Principe  
constituto: quæ mox iterum à Turcis ob-  
fessa , à Christianis autem erumpentibus  
fortissimè servata, centum millibus Sarace-  
norum in eruptione cæsis. Demum Anno  
Christi 1099. qui erat quartus suscepτæ ex-  
peditionis ipsam Hierosolymam die 39 ob-  
sidionis Idibus Julii, Feria sexta & horâ, quâ  
Christus mortuus , ingenti Strage hostium  
recepérunt , postquam 490. annis in Sara-  
cenorum potestate fuisset. **Sigebert. Onuph:**  
**Palmo:** Addit **Genebrardus** ex manuscriptis  
**Fucherii Carnotensis**, qui in illa expeditio-  
ne Sacellatum egit **Baldini** , & testis est  
oculatus , milites inopiā jumentorum usos  
fuisse ad Sarcinas suas vervecibus , Capris.  
suibus , arietibus , interdum etiam bobus e-  
quitasse. Scribit **Zonaras** hanc proteftio-  
nem indicatam fuisse cœlitus per infinitam  
locustarum multitudinem quæ ab occiden-  
te orta , & tantafuit, ut inter volandum Ori-  
entem versus nubibus æquiparetur & So-  
lem obscuraret. Verùm adeò insignes victo-  
rias brevi post Christianorum avaritia &  
ambitus corrupit , & optimè parta pessimè  
iterum omnia Dilapsa sunt.

### § 18. Signa & Trag. Event.

**C**ometes formâ horribili A. 1005.

\*tanta fames & mortalitas per totum prope orbem ut Sepelientium tædio Spiritum adhuc vivi trahentes cum mortuis tumularentur 1006.\* Cometa Specie trabis per quatuor menses apparet, 1016.\* Aquisgrani tanta siccitas & aëris intemperies, ut præ nimio ardore multi homines deficerent, & animalia subitò interirent, 1021.\* Nix tam copiosa in Occidente ut sylvas frangeret. 1047.\* Iterum fames ingens, ac pestis per orbem 1062.\* Dominicâ Palmarum, de die, Sereno cœlo, Stella conspicitur, 1077.\* Magnus terræ motus cum mugitu horribili præsignificat bellum ab *Henrico Imperatore* suscepitum aduersus *Gregorium Papam VII. Sigeb. A.* 1082.\* Ingens inundatio aquarum in Italia, quâ rupes veluti liquefactæ ruinâ suâ plures villas obruerunt. 1086.\* Eodem anno domesticæ aves, pavones, Gallinæ & anseres se à domibus extrahentes fiunt Sylvaticæ. \* Pisces fere omnes in aquis moriuntur A. 1087.\* In Occidentali Lotharingiæ parte nul-

AB ANNO 1000. AD 1100. 19\*

multi igne Sacro correpti, qui membra interna consumens, putredinem inducebat, ac nigrorem, instar carbonum, alii amissis per putredinem manibus ac pedibus ad vitam morte miserabiliorem reservatis sunt, plurimi distorti permanerunt & nervorum contractione dire cruciati A. 1089. *Sigeb.*\* Mortalitas magna in Gallia & Germania 1094. \* Terræ motus cum valido venti turbine die decimo Septembris A. 1095. \*



## SÆCULUM XII.

AB ANNO 1100. ad 1200.

### §. I. Romani Pontifices.

CLXII. **P**ASCHALIS II. Italus Florentin: matre Germanâ natus, ex Monacho Cluniacensi à *Gregorio VII.* Cardinalis creatus ac Pontifex deinde factus A. 1099. *expetente populo, eligente Clero, & toto Cardinalium Senatu collaudante ait Genebrard:* mul-

I 4 tūm